


Handwritten text on the spine edge, possibly including a name or title.



Tb. 1.



Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.

Handwritten text, possibly a title or author's name, mostly illegible due to fading and bleed-through.



MEMORIA

Conjunctissimi Jctorum Paris,

DN. CASPARI BITSCHII,
Collegii Jctorum in Academia Argentoratensi Senioris
itemque Ecclesiae Collegiatae ad D. Thomam Prae-
positi gravissimi.

tum

DN. GEORGII DAVIDIS
LOCAMERI, Jcti,

& Pandectarum Professoris celeberrimi :

*Ob vita, fortunae, atque exitus penè parilem ordi-
nem atque decursum,*

Suasu nonnullorum Collegarum, unâ Oratione
parentali representata,

Argentorati

In Auditorio solenni, 21. Septembris 1637.

à

JOHAN-OTTONE TABORE, U. J. D. PP. & in
Senioratu successore : postea diversorum Imperii Principum & Statuum
Consiliario, Cancellariae Gistroviensis Directore; denique Academiae
Giessensis Cancellario; hodie emerito & rube
donato.



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREAE DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schick,
Anno M. DC. LXXIII.

MEMORIA

DR. GEORGE ARKIBITSCHEW

Collegium in Academia Medico-Chirurgica

in Universitate Carolina et Theresiana

Pragae

DR. GEORGE ARKIBITSCHEW

Collegium in Academia Medico-Chirurgica

in Universitate Carolina et Theresiana

Pragae

De ...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...


...

...

...

Ludwig Georg von Anstett & Sohn
Herausgeber
Anno M. DC. LXXXIII.





Pontius Casa Mirambellus, vir non ani-
mi solum robore, & rei militaris usu atque pru-
dentiâ, inter superioris ævi Duces conspicuus; sed
& literis ad elegantiam excultus, præterea magnâ
consiliorum consensione cum Ulyssè illo Franco-
rum, Lanovio, conjunctus; cum *Annò* 1547. in
Sanctonibus insidiosò sclopeti ictu prostratus, à suis sepulturæ
jam mandandus esset, hòc sibi cygneò carmine, in caligis repertò,
parentâsse deprehensus fuit:

*Desine migrantem lugere, Viator & hospes;
Non careo patriâ, me caret illa magis.*

Inciderat vir fortissimus in ea tempora, quibus omnia Civilibus
bellis loca perstrepebant, ubi nulla fides in pactis, nulla spes in since-
rationibus, promissâ omnia Lunæ Laconicæ; nec sacrum quic-
quam aut intactum à petulantia militis relinquebatur. Itaque
præsentia fastidians, ad futura nauscans, fatique prælagus, sine do-
lore ex ista, & cum alacritate ad meliorem se patriam transire te-
statur, nullis caritatibus obnoxius, nisi quas Galliæ, tantas virtutes
negligenti, aliquando desideraturæ, gemens imputabat.

Subijt istius lemmatis recordatio animum, cum superioribus
diebus Venerandum Universitatis Academicæ Consilium mihi
hanc provinciam injungeret, ut Viris juris utriusque peritissimis,
Casparo Bitschio, & Georgio Davidi Locamero, non tantum inclu-
tæ hujus studiorum Universitatis Antecessoribus clarissimis; sed
(præfiscanè) Germaniæ in Germana Jurisprudencia nuper lumini-
bus, iusta facerem, quòd iniquum videretur, istos justitiæ sacerdo-
tes exequiarum justitiâ fraudari, & honore parentationis diutiùs
carere.

Quanquam enim jam inde ab *Numa* parentalium dies cogna-
torum inferiis institutus, nec quicquam sanctius superstitum reve-
rentiâ habitum fuerit, quàm ut amissorum venerabiliter recorda-
rentur;

rentur; prætereà multa sint, quæ eximios illos viros diutissimè nobis desiderabiles efficiant: summam intelligo eruditionem, cum insigni pietate, vitæ innocentia & morum suavitate conjunctam, studium deinde indefessum, ac prudentiam maturam. His tamen omnibus egere nos magis, quàm laude nostrâ illos gaudere & delectari, verisimile sit, utpote exemptos huic isti seculo, quo nullum virtuti pretium superest, nullus honor, ac ne spes quidem eluctandi positis in contubernio egestatis, ut Poëtæ loqui amant, solvi nesciente. Ac si bene sensâ virtutis, dotes suas contemptuque cogitantis, sive in historia temporum, sive in vultu & sermonibus virorum illorum laudatissimorum conjicio; haud dubiè illa, Nemesin quandoque induta, Germaniæ nostræ tot meritis sola verborum inania rependenti, pro clientibus suis, jam serò nimis desideratis, replicatura est eandem cantilenam, quâ olim *Jacobus Cujacius Tholosus* adversus Civium supinitatem, contemptumque sui vindicavit. Cùm enim is *Stephano Forcatulo*, faceto magis, quàm prudenti Juris Doctori, in Cathedræ petitione posthabitus; (vide *Mornacium ad l. ult. C. de jure Emphyteut. ibi: Pudor equidem Palladiæ Tholosæ, antepositum olim in schola ita celebri tam ineptum arde lionem incomparabili suo Cujacio. Confer Papir. Masson. in vita Cujac. oper. prefix.*) deinde verò, cùm à *Michaele Hospitalio*, viro magno & excellentium ingeniorum sagacissimo æstimatore, *Biturgium* scholæ præfectus, omnium hominum expectationem longissimè superâisset, à *Tholosanis*, errorem suum seriùs agnoscentibus, repetitus fuisset, pauca hæc animosâ brevitate reposuit.

Conf. not.

Anton. Mercatoris ad lib.

1. animadvers. Joh. Roberti.

cap. 30. p. 489.

Senatui P. Q. Tholosano

Jacobus Cujacius S. P. D.

Frustra absentem requiritis, quem præsentem neglexistis. Valet.

Tametsi enim magnanimi Reipubl. hujus proceres, & Curatores Universitatis Nobilissimi, post divini cultûs custodiam nullas potiores curas habent aut antiquiores, quàm ut viris egregiis commodè prospiciatur. Tanta tamen seculi hujus est calamitas, ut nulla quantumvis providentissimi atque pientissimi Magistratûs sollicitudo sufficere possit ingruentibus undiquaque necessitatibus,

bus, dum Mars & Bellona, jurati Musarum hostes, ferrô flammâque latè omnia Sicelidum delubra, unâ cum bonis atque prædiis, à provida antiquitate Musis sacratis, depopulentur ac tantùm non exterminium illis minitentur.

Atqui frustra interim Antecessores nostros lugere videbimur, absentes jam & exules cum lubentia, nec nisi cum fastidio ad nos respicientes. Qui enim se olim præsentem neglectim habitos queri possunt, absentes desiderati fortè ridebunt; inenarrabilibus agni nuptiis & tripudiis jam adhibiti, & iis honoribus atque opibus aucti, quas mortalium conditio non fert, nec cuiquam fortuna sublunaris potest conferre. Atque adeò vereor, ne præposterarum istas mundi laudationes ex philosophia *Augustini lib. 5. de Civit. Dei. c. 14.* totas pro immundis & inficetis habituri sint.

Enim verò cum inter vera gratitudinis præconia, & simulata officiorum inania, discrimen ingens pateat: quod *Ausonius in Exordio Parentalium suorum* (quò paulò post usus sum) nervosè expressit: Nec reprehendantur desideria eorum, qui amicos suos boni publici aut salutis causâ recedere à se navi prospiciunt, ut cunque reditum intempestivum ne cupere quidem sine verecundia, aut profiteri sine opprobrio possint: Dubitandum nobis amplius non est, quin debeamus; sed curandum magis, quibus possimus honoribus venerari sapientum nomina, & quâ religionis pietate liceat erga illorum monumenta defungi animis non ingratis.

Cato Censorius fertur adolescentem valdè laudâsse, quòd defuncti patris inimicum involvisset infamiâ, itaque peractò iudiciò in foro ambulanti amplexum fuisse, & gratulabundò ore iactâsse: Ita parentibus parentandum esse. Hanc sententiam ab excessu gentilis iracundiæ, in vindictam nimis pronæ, vindicabimus, moderatâ ad Christi legem & mansuetudinem sententiâ pronuntiantes: Ita bene meritis parentandum esse, ut egregiè facta posteritati imitanda proponantur. Eò nim. sine Veteres majorum suorum imagines disponebant in atriis: Alii præceptorum icones locabant in Larariis, ut essent non tam incitamenta luctus,

*Ful. Caf.
Scalig.
Exercit. 148.
f. 7.
Plutarch. in
Cat. Major.*

quàm monumenta gratitudinis, & ad calcanda virtutis fastigia illecebræ.

Hoc itaque cùm omnino agendum esset, non potui satis de-
mirari Amplissimi senatus Academici iudicium, quòd eam paren-
tandi provinciam commiserit homini artis dicendi imperitissimo,
qui vix ullò anni tempore Orationem legere, nedum scribere queat;
sed totam ætatem in barbaris *Bartholi* lacunis, aut actis forensibus
expediendis insumere cogatur: Cùm eam spartam longè rectiùs
ornatus fuisset, quem vota omnium Professorum & Magnifici Ma-
gistratûs suffragia munere Professoris eloquentiæ non ita pridem
ornârunt: cuius præclara indoles veterum Majestatem non infi-
ciandò emblemate exprimit, & Academiæ nostræ huicque adeò
Cathedræ alium *Sturmius* pollicetur.

Tametsi enim ἀπορον olim fuerit atque pudendum ICto,
infantiam suam aut dicendi imperitiam causari: cùm Herma-
thena ipsa cum toto suo pedissequio & comitatu sit de familia
Themidis, & hujus Cultores, nimium, quantum illius usi fuerint
familiariter consortiò: Quomodò è nostris *Cælius Antipater* pa-
rùm honestè audit apud *Pomponium*, quòd plus eloquentiæ ope-
ram dederit, quàm scientiæ juris. (Quæ utinam querela hodiè que
non in complures eorum, qui titulò ICtorum superbiunt, cætera
mera Germanæ tolutiloquentiæ referunt tintinabula, quadraret!)

d. 2. §. 40. ff.
de O. 7.

Ex quo tamen Jurisprudencia è Latio sive profligata, sive pro-
fuga in Transalpinorum manus incidit, longe inversa rerum facies
& stylus Curiaè è purissima latinitate in impurissimam barbariem
conversus, quâ lingua vel imbuenda est, vel ab ista Themidos aula
planè abstinendum: Unde contingere solet, ut æquè rideant de-
clamatores Latinos, Pragmatici, quàm hi nullâ laterum conten-
tione istis persuadere possunt, ut elegantiam in ipsorum sermone
agnoscant.

Quibus sanè de causis optâssem ego, rem ipsam tantisper di-
latam fuisse, dum per occasionem promotionum Doctoralium,
(quibus ut aliorum Collegiorum Juridicorum usu; ita ex nostri
quoque hæctenus servata consuetudine, declamationes istæ sepo-
nun-

nuntur) Viris optimè de me meritis τὰ νομιζόμενα exsolverem,
& impeditæ simul sermocinationis vitia contegerem.

Quia tamen justis superiorum Imperiis meritò omnes voluntates nostras permittimus; hoc quoque officium, quod omnino præstiturus eram, licèt aliqua cum existimationis jactura, simulatque per domesticarum calamitatum inrercalationes & curas alias magis prementes licuit, suscepi, hòc ipsò me apud bonos facilè excusaturus, quòd non Oratoris, per jactantiam; sed narratoris, per necessitudinem, officium susceperim. Quod si nonnulli ex scriptoribus Romanorum antiquioribus, ùt *Pictor*, *Piso*, *Cato*, *Fannius*, *Vennonius* & ipse, quem dixi, *Cælius Antipater*, nihiloseciùs laudem aliquam meruerunt, quòd non exornatores rerum, sed narratores saltem fidi extiterunt: Non utique probrosùm istud mihi apud bonos fore spero, si alterius scholæ studiis dissentus, veritatem sine ullis lenociniis aut verborum pigmentis, tenui tantùm narrationis velo involutam, per lineamenta certissima ostendero. Id verò dum facere allaboro, quia inquam audeo

*Nomina doctorum jam condita funere justò,
Fleta prius lacrymis, nunc memorare modis,
Nuda sine ornatu, fandiq; carentia cultu,
Cùm tumultis purus sit honor iste satis.*

Vos, quibus ea in Jurisprudenciam sive propensio, sive charitas est, ut relictis gravioribus negotiis, exequialibus istis honoribus adsistere dignati sitis; sacra ista sine ullo ornatu, pura tantùm manu facturum, clementi, gratiosâ & benevolâ mente linguâque prosequamini.

Favete.

JURIS CIVILIS scientiam, Auditores, in urbe ista plurimùm doctissimiq; viri non coluerunt modò antiquitus; sed & per integrum ferè seculum publicè professi sunt. Namq; ut superiorum ætatum memoriam prætereamus, quæ complures & juxta sortem illorum temporum nominatissimos tulerunt Jure Consultos; jam ante seculum, sive ùt *Iohannes Sturmius* in quadam epistola loquitur, sub ipsa statim constitutæ scholæ primordia, certum est, in
cathedra

cathedra hac docuisse *Vendelinum Bittelbronn*, Reipubl. hujus
 Consiliarium gravissimum. Cujus virtutes, elogium, reliqua
 omnia, *Iohannes Sapidus*, Poëta illô seculô doctissimus, posteris
 in Epicediis suis, Anno 1542. in lucem editis, hôc monumentô
 commendavit:

Vendelinus hâc jacet Bittelbronnus humô
Iuris Magister optimus scientia,
Fidissimusq; cognitor clientibus:
Idemque longè Musicus dulcissimus:
Pius in Deum, natos, parentes, conjugem,
Patriamq; & in amicis colendis sedulus,
Et commodus semper jocis & seriis.
Quem, quoniam ei talem esse non licuit diu,
Testetur hâc talem fuisse inscriptio.

Fuit huic coætaneus *Ludovicus Bebio*, U. J. D. (quæ tum tem-
 poris rara erat dignitas) patriâ *Württembergicus*, qui assiduitate
 suâ meruit, ut à Dnn. Scholarchis Anno 1544. mortuô Collegii
 Thomani Decanô *Iacobô Bopiô*, eidem Capitulo enixè commen-
 daretur: Quanquam nec labori nec honori huic diu superfuit, se-
 quenti eum, quem dixi, annô extinctus. Post quorum obitum
 vocatus est Anno 1545. ex Academia Tubingensi, in qua Philo-
 sophiam moralem docebat, *Chilianus Voglerus* Canstadiensis *Wür-*
tembergicus, neque is tamen Lycéo huic Incola diuturnus fuit, post
 septennium, h. e. Anno 1552. ab Illustrissimo Principe suo *Tubin-*
gam non solùm ad munus Cathedralium recitationum accitus;
 sed & Consiliariorum Assessorumq; Consistorii sacri honoratis-
 simo adscriptus Collegio, quibus functionibus magna cum
 dexteritatis laude per annos 33. præfuit, Anno demum 1585.
 mense Majo in Domino defunctus.)

Jacturam egregii viri hujus resarcivit sedula Dnn. Scholar-
 charum ejus temporis circumspectio, honestis conditionibus ad
 Professionem Juris in hac Schola suscipiendam invitatô ICTô cele-
 berimô, *Franciscô Balduinô*, Atrebatensi: qui tùm in juventute
 præclaram adèò eruditionis famam sparserat, ut à *Biturigibus* ad
 docen-

docendi munus pollucibili auctoramentò conduceretur, & à Collega suo *Eguinario Barone*, Doctoralibus insignibus ornatus, & alterius famosissimi Collegæ, *Francisci Duareni*, consortio adhibitus. Enim verò, cum ibi locorum religionis reformatæ cultores in periculo essent, ipse post septennium, à suscepta professione numerandum, ad nos exulatum venit, & gratum hîc suis studiis latibulum invenit: Cùm interim cathedram, ab ipso relictam *Iacobus Cujacius* eò, quò dicere occupavi, ordine obtinisset. *Baldwinus* autem inter alia libellum Christianorum Jure Consultorum nomine contra *Duarenum* scripsit. (vid. *Melch. Adamus in vita ejus*, p. 202.) Coeterum sive ex ea, quam *I. A. Thuanus*, in *dedicatoria historiarum suarum epistola*, & *Theodorus Beza* in suo *Eubolo* commemorat, sive ex alia quacunque causa, relictâ paulò post & nostrâ, & in quam postea transierat, *Heidelbergensi* Academiâ, in Galliam reversus, Regi Navarræo (Henrici IV. parenti, Ludovici justî avo) à consiliis fuit secretioribus, & in præcipuis aulae dignitatibus Lutetiæ obiit, annos natus 53. epochâ. 1573. quâ ipsâ *Cracoviensi* Academiæ instaurandæ destinatus & designatus erat. (vid. *Thuan. libr. 57. histor. p. 967.*)

Collegam iste & successorem habuit non minoris commatîs & nominis *J. Ctum*, *Franciscum Hottomannum*, familiâ *Quadorum Nobili*, patre senatore Parisiensi progenitum, & honestis à pueritia studiis excultum, qui primùm *Lausannæ* in Helvetiâ, quò Anno 1548. è patria religionis persecutionem effugiens pervenerat, Eloquentiam, deinde ab Anno 1551. Jurisprudentiam quoque in hac Cathedra docuit, unde *Commentaria Institutionum Augusti*, *Saxoniae Electori serenissimo* nuncupavit. In *Capitulo* quoque *Thomano Petro Martyri*, *Tigurum* vocato successit, & in statione ista ad annum usque 1561. perstitit, quò in patriam rediens, licet à diversis Principibus, veluti ab Alberto Seniore *Borussiae Duce*, *Landgraviis Hassiae*, *Ducibus Saxoniae*, *Elisabetha*, *Britanniae Regina*, aliò vocaretur.) *Canonicatum* hîc suum *Amplissimis Dnn. Scholarchis* (quorum beneficiò singulari eum tenuerat) resignavit. Quas ego minutias eò libentiùs annoto, quòd ea tenuia fortè;

vid. P. Nevel.
Dofchium in
elog. Hottom.
premissò tome
1. oper. ejus.

at verò in laudem Cathedræ hujus vergentia, in vitæ ejus descriptione à *Thuano lib. 99.* aliisque sunt prætermiffa.

Circa eadem tempora simile superioribus perfugii afylum in hac urbe habuit *Petrus Carpentarius Tholosanus*; & ferè eâdem tempestate *Philippus Custosius, Francovillanus*, (vulgò, *Mons. de la Garde.*) quorum ille Jus Civile aliquando *Geneva*; tum deinde in hac Academia professus, sed optimis Bellevræi conditionibus in Galliam revocatus, & beneficio ejus ad amplas dignitates evedtus fuit; Quanquam ob tepidum in religionis negotio animum sensumque, ab utraque & Protestantium & Pontificiorum secta vapulet. [teste *Thuano lib. 53. p. 844.*] Iste verò itidem paucis annis in hac Schola transactis ad *Musas Aurelianenses* transiit.

Succenturiatus istis *Georgius Nesselius Argentoratenfis* haud quaquam diutiùs Auditorio præfuit, *Anno 1561. (20. Novembr.)* electus: at *63. (23. Martij)* defunctus; professionem Scholæ cum possessione coeli commutans.

Ob isthanc mutationum frequentiam, & quia circa eadem tempora, h. e. *Anno 1566.* Academia eximiis à *D. Maximiliano II.* ornata esset privilegiis, subinde alii & plures numerò Professores conducti aut assumti sunt: è quibus maximè diuturnus & vivacissimus fuit *Laurentius Tuppis, Cryphisvaldensis Pomeranus, Spirâ*, ubi *Anno 1563.* praxeos cognoscendæ causâ degebat, (postquam in præcipuis Galliæ & Germaniæ Academiis insignem Juris scientiam affecutus esset) evocatus. Hic, cum aliquot annos Institutiones explicasset, *Custosio* adhuc Pandectarum volumina pandenti, cum is circa *annum 1572.* in Galliam reverteretur, in explicatione Pandectarum successit; quam Professionem ad finem usque vitæ tenuit: spartâ Institutionum ornandarum interim translata in *Huberum Giphanium, Buranum Geldrum*: De cujus ingenio moribus & eruditione, dum in hac Schola esset, *Iohannis Sturmij*, tale exstat judicium, (*Anno 1582.*) *d. 7. Decembr.* ad Collegium Thomanum perscriptum: *In promovendo ad ades Capitulares Giphanio temporis maximè rationem habui, quod post illam publicorum auditorum atque etiam Classicorum aliquam discessionem cupio*

cupio Giphanium retinere : cujus discessu fieret, ut plerique omnes Nobiles & Iuris studiosi discederent : Habui etiam rationem meritum, quod diu meritus est & Schola militavit, cum laude nostra & sua. Habui etiam doctrinae rationem : sive enim elegantiam literarum spectemus, ea in ipso summa est : sive jurisprudentia, ea etiam in Caesarum aulis habet summum autoritatis gradum.

Neque tamen perpetua fuit hæc Sturmij in Giphanium (quemadmodum nec in Hottomannum) propensio; Cum enim is conquereretur, iniquè lectiones Ictorum ita divisas aut potiùs divulsas fuisse, ut Tappius, Giphanius, & Beutherus, Pandectas partitis operibus explicaret; Wulfeshemius (hunc verò etiam in Catalogo Professorum Juris fuisse hinc liquet) Wulfeshemius, dico, tres Institutionum libros interpretaretur, iterumque Tappius quartum Institutionum : Giphanius iniquè ferens, Philosophum omne sibi, ut in reliquis ferè disciplinas, ita in Ictorum quoque Scholas arbitrium & potestatem sumere, haud obscure professus est : se in Scholastico ordine Collegas agnoscere, dominum neminem. Ad quod verbum dictator iste adeò excaudit, ut se adversus Giphanium Poëtæ illud præceptum executurum minatus sit, & scripserit :

Vt tu fortunam, sic te nos Flacce, feremus.

A quo fato, aut privatorum potiùs libidine cum Giphanius pendere nollet, facilè alias condiciones non solum Academias Altorfi (Anno 1584.) & Ingoltadij; sed & aulicas maximè luculentas invenit, in Amplissimum Consiliariorum Augustalium consortium coopatus.

Porro de Collega eius, quem jam nominavi, Michaele Beuthero, & quem postea, h. e. Anno 1575. accepit, (in locum Wulfeshemij) Georgio Obrecht, tractare supersedeo; quod nominasse illos sufficiat, quorum non scripta solum immortalia; sed & monumenta sepulturæ & familiae propagines efficiunt, ut uterque inter nos etiamnum appareat.

Sanè de *Nicolao Reusnero*, Wittebergensi, nisi inceptum istud aliò me vocaret, dicenda essent pluscula, quia scilicet nec ex locis istis oriundus fuit, nec in illis oppetiit; sed postquam, *Giphaniò* Altorfium concedente, Institutionum juris ἐξήγησιν & interpretationem, Anno 1583. (XII. Kl. Novembr.) captam, per sexennium sustinisset, fatum plurimæ partis superiorum subiens, Anno 1588. Ienam, ad honores primæ cathedræ & munus Assessoris supremæ Curia, vocatus fuit. In quibus functionibus singulis, virum se doctum bonumque, & non pigendum hujus Scholæ quondam Doctorem ostendit: quin plurima ipsius scripta, perpetim victura, illum vel silentibus nobis, minimè silentium efficiunt. Nec omittere possum insigne elogium, quod ipsi *Megalander* hujus Academiæ, *Iohannes Pappus*, in programmate quodam funebri, agnato ipsius, *Christophoro Reusnero* Curia-Variscò, Anno 1603. scripto, perhibet: *Ipsum scilicet, dum hîc esset, non solum in amorem sui, sed & in admirationem cunctos rapuisse: quæ sanè commendatio utramque facit paginam.*

Cæterùm post hujus discessum famam Collegii Juridici nihilominus egregiè tutati sunt residui, *Tuppius* & *Obrechtus*, in locum *Reusneri* adaptatò *Paulò Grassaccio*, Argentorantensi, Anno 1589. qui cum magnâ sedulitate inferiori Auditorio per annos bene multos præfuisse, denique *Pandectarum* Explicationibus incubuit, in quarum enarratione etiam defecit, (15. Martij) Anno 1604.

Accidit interea temporis, ut idem, quod antea populares sui invenerant, in hac urbe quæreret à persecutionibus Pontificiis diviticulum, de universis studiis nostris præclarè meritis *Dionysius Godofredus*, obviâ humanitate Anno 1591. ad explicationem *Pandectarum* sive invitatus, sive admissus; ad quam per octennium porrò peractum, denuò (licet per sesquiennium ad *Heidelbergenses* secessisset) rarò fortunæ beneficiò & eximia *μεγαθυμίας* Procerum nostrorum exemplò, receptus fuit. Neque tamen vel post ἀλλοίωσιν istam perpetuò noster esse potuit, per summam virtutis & eruditionis opinionem potentissimis Regibus & Principibus commendatus, è quibus Palatino Electori operam suam addixit, Scholæ simul & aulæ

aulæ consulens: donec superioribus annis cataclysmi bellici curipis Palatinatum inundantibus, ad nos extremum delatus, in ædibus Apollinis nostri, h. e. in sinu Musarum exspiravit, *Anno 1612. I. Septembris.* Matthiæ Ber-
neggeri.

Brevis etiam atque concisa ferè fuit, vel potiùs interrupta opera *Philippi Glaseri*, quam Auditorio Jctorum *Anno 1601.* obtulit, institutionum enarrationem cum historiæ professione jungens. Vix enim per annum geminatæ huic provinciæ præfuit, quando ad superiora transmigrans, lampada tradidit *Melchiori Junio*, Melchioris, Eloquentiæ Professoris celeberrimi, filio, qui *Anno 1602. (19. April.)* Institutionum interpretationem auspicatus, deinde per successionem decedentium, Pandectarum quoque & Codicis explicationem nactus est, Juris elementis explicandis interim, h. e. *Anno 1604.* præfctò *Iohanne Michaeli Beuthero*, qui in munere isto peragendo, nonnulla etiam industriæ suæ monumenta edidit atque reliquit.

Claudit vicenarium isthunc Professorum numerum *Iustus Mejerus*, *Noviomagensis*, Jctorum ætatis nostræ meritò suò vocatus *Sulpitius*; cujus & *Sigismundi Flachij*, Institutionum Interpretis clarissimi, historiam eleganter executus est is, cujus causâ catalogum istum præmisi, *Casparus Bitschius*, cum collega suo ex rationibus, quas dicere occupavi, conjunctim, sed paulò uberiùs commemorandus.

Tametsi enim Virorum istorum tot insignia in bonum publicum extent *ἀνδραγαθήματα*, & in Jurisprudentiam excultam merita, ut iis de prædicandis non Orationes; sed volumina: non dies singulæ debeantur; sed hebdomades: Quia tamen fortuna utrique per omnem vitæ decursum tam gemina fuit & consimilis, ut difficiliùs lac lacti, ovumque ovo, quod in proverbio dicimus, discernatur: mores porrò & studia deprehendantur eadem; quinimò animus veluti unus per conjunctissima duo corpora diffusus, cujus alterò quasi thalamò per mortem sublatò, alter diutiùs superesse haud

potuit: Ideoque non tam ignaviâ aut ingratitude utro-
rumque laudationem unô sermone componere malui, quàm
Superiorum voluntatem venerari; Nonnullis existimanti-
bus, tædium auditorii sic devitari posse; ne bis eadem appo-
nere, aut ut JCtus loquitur, *ἄ τὴ αὐτῶν* in re, propter recen-
tem defunctorum memoriam plerisque omnibus nota, a-
ctuosè operam lusisse videamur.

Nec à me expectari aut exigi puto, ut horum natales,
incunabula, pueritiam, juventutem, nuptias, progeniem, va-
rias jactationes, & reliqua sive externa, sive ab instituto alie-
na, per tenuissima rerum temporumque momenta operosè
deducam; cùm hæc talia intra vertentem annum & pro-
grammatibus exquisitis comprehensâ, & funebribus concio-
nibus universo populo satis sollicitè & eleganter exposita sint;
huic autem loco minùs fortè conveniant: siquidem in ho-
minibus contemplandis non aliena æstimanda; sed ipsa ani-
ma, ejusdemque egregiæ operationes penitiùs sunt inspi-
ciendæ.

Ut enim, inquit ille, in equis emendis non phaleras
spectamus præcipuè, aut baltheorum polimina; sed corpus
ejus nudum, ut sit ad speciem honestum, ad cursum velox,
& ad vecturam validum: Sic itidem in hominibus aliena de-
sideranda non sunt. Aliena autem intelligit, quæ parentes
dederunt, & quæ fortuna largita est. Nam qui nobili ge-
nere ortus dicitur, eius potiùs primi parentes, quàm ipse,
laudantur: qui dives, à re valdè caduca & fortuita; sed qui
bonis artibus edoctus, & quantum liberali sufficit, sapiens, suis
bonis jure laudabitur.

Quanquam *Bitschium* nostrum ad eò ortus sui, & quòd
Anno 1579. die 5. Aprilis, Hagenoæ, patre Michaele, Sutore,
matre Magdalenâ, Iohannis Wuchereri, figuli, filiâ, editus fuis-
set, non piguit, ut in Commentatione de vita sua, quam vi-
vus delineaverat, argumenta divinæ laudis hinc petierit,
quòd è re tenui ad tam honestam functionem à Deo Opt.
Max.

Max. evedtus esset; *Iphicratis* exemplò gavifus; qui patre suto-
re natus, summus Orator ac denique Imperator Græcorum
factus est; Itemque (quod ad professionem nostram propiùs
accedit) *Alphani Vari*, Cremonensis, qui non solum sutoris
filius fuit; sed & ipse sutrinam aliquantisper Romæ exercuit,
donec meliore geniò incitatus, & fortè à magistro suo malè
habitus (nam id familiare fuisse sutoribus, docet *l. 13. §. 4. ff.*
locati, itemque ad lib. 5. ff. ad L. Aquil.) ad juris studium sese
contulit, Doctore usus magnò illò Antecessore Sororiò, *Sul-*
pitiò, cujus institutione suâque industriâ tantùm profecit, ut
non modò præ cæteris *Sulpitii* Auditoribus plurimum auto-
ritatis in Jurisprudencia consecutus sit; sed etiam ad Con-
sulatum pervenerit, ac mortuus publicò funere efferrì (rarò
tùm & eximiò honore) meruerit; qua de re post veteres *Ai-*
marus Rinaltus, Iacobus Labittus, Bernhardus Rutilius, Matthæus
Wesenbecius, Iohannes Fichardus (in vitis Ictorum) Georgius Eber-
linus (ad l. 2. ff. de Orig. Iur. cap. 40. num. 18.) & alii uberiùs com-
mentantur.

Imitatus etiam hâc annotatione & hypomnemate bea-
tus noster videtur exemplum *Agathoclis*, qui cùm figuli esset
filius, generis humilitatem non modò non dissimulavit; ve-
rùm etiam eo veluti firmissimò argumentò usus est, inflam-
mandis & instigandis suorum animis ad capeffendum virtu-
tis iter. Unde vasis aureis frequenter figulina solebat admi-
scere, ut ostenderet, sordidissimæ conditionis hominibus per
virtutem ad honores aditum patere. Denique, ut *M. Cato*,
cùm urbanò conviciò novus homo appellaretur; (quomo-
dò solebant, qui obscurò genere orti, suis virtutibus incla-
rescebant) novum se, quantum ad Magistratus & claritatem
attinet; sed factis virtutibusque ferebat esse pervetustum. Ita
noster etiam suis de factis clarum nobilemque præstitit, &
jactare illud *Iulij Cesaris Scaligeri* ex parte potuit, qui de sedi-
cturus, ita orditur:

Bren-

*Brenni progenies; & si non illius essem,
Ille meo poterat deduci sanguine.*

Ita *Urbanus*, IV. Papa hujus nominis, patre sutore veteramen-
tario, (vid. *Cluv. epit. histor. sub Richard. p. 577.*) quemadmodum
etiam *Iohannes XXII.* (vide eund. p. 606. *Bzovium in Anno 1316.*)
& *Benedictus XII.* (antea *Iacobus de Furno* dictus) pistore Tho-
lofanò genitus fuit. (ap. eund. *Cluv. in Ludovico Bavarop. 607.*)

Præstat ea commemoratio tenuioris fortunæ homini-
bus consolationem maximam, cernentibus, natalium obscu-
ritate nemini præclusam esse enitendi vel emergendi viam;
sed imò calcaria tantum & à provido rerum dispensatore in-
citamenta addi, quò divinâ adspirante gratiâ per angusta &
vadosa, ad augusta eluctentur: Quomodo è nostris præter
Varum etiam *C. Trebatius Testa*, *Aulus Ofilius*, *Cajus*, (qui tam i-
gnobilis genere; at gloriâ eruditionis vicissim ita eximius &
præstans fuit, ut solò prænomine innotuerit.) *Flavius Priscus*,
Masurius Sabinus, *Vlpianus*, alique ex humili & contemptibili
domo prognati, propter virtutem & doctrinam Nobilissimis
adnumerati sunt. De *Willigis*, Archi-Episcopi Moguntini,
modestia, Rota in insignibus Moguntiaë etiamnum testatur.

Epist. 17.

Unde *παράδοξον* illud *Senecæ* minùs apparebit inopinatum, cum inquit: Si vis vacare animo, aut pauper sis, aut pauperi similis: multis enim ad philosophandum obstitere divitiæ: paupertas expedita est, & secura.

Sed & ii, qui honoratioribus editi sunt parentibus, discere hinc debent, Virtutem & eruditionem, ac bona ex his propullulantia, non cum sanguine per traducem, transferri & propagari; sed Dei munere his obvenire, qui laudabilia majorum calcantes vestigia, per ardua ad alta enituntur; quomodo iterum è JureConsultorum nostrorum censu decus à Majoribus partum, virtute suâ atque industriâ familiæ veluti proprium & hereditarium effecerunt *Scævola*, *Aquilij*, *Tuberones*, *Sulpitij*, *Cæciliij*, *Nervæ* & complures alij.

Cæte-

Cæterum lautioribus paulò incunabulis susceptus est *Locamerus*, Reverendò & Doctissimò Virò Domino *M. Georgiò Locamerò*, Ecclesiæ Landaviensis quondam Pastore vigilantissimò satus, & Landaviæ *annum* circ. 1588. progenitus: à quo tamen præter honestiorem ortus conditionem, fortunam haud luculentam magis aut opimam est consequutus.

Etenim ut *Bitschius*, simulatque prima linguarum nec non Dialectices & Rhetorices fundamenta in schola patria jecerat, & jam uberiore cultu indigebat, Argentoratum 30. *Junij* Anno 1594. *tenui cum peculio* (h. e. ut nostri interpretantur, *cum pusilla pecunia. l. 5. §. 3. ff. de pecul. l. 16. ff. ad Sctum Trebell.*) dimissus, & aliis inserviando, puerosque instituendo, vitæ parcè ac tenuiter sustentandæ subsidia quærere fuit coactus; à secunda classe hujus Gymnasii curriculum studiorum suorum red-
auspicatus: Ita quoque *Locamerus* paucos in patriis penatibus annos confecit, paulò post tenerâ adhuc ætate ad Gymnasium nostrum *exili* itidem *cum viaticulo* (ut *Jctus* iterum *ὑποκερικῶς* appellat in *l. 18. §. 1. ff. de judic.*) ablegatus, ut ibidem uberiore doctrinâ mentem avidam imbueret, in quartam classem ab Ephoris admissus. Cætera non paternis opibus, sed suis studiis atque servitiis victitans, & panem quæsitans quotidianum. Commendantur admirationi posteritatis Philosophorum aliqui, quòd inter durissimos labores ad summam eruditionem profecerint. Ita enim *Cleanthem* Philosophum per jocum *Φερίαντην* dictum memorat *Laërtius*, quòd noctu è puteo aquam hauriendo victum diurnum quæreret, quò tempore sapientiæ studiis operabatur. Gemina de *Dionysio Prusæo* refert *Philostat. lib. 1. de vit. Sophist. p. 492. de Saturio- ne & Adito, Gellius. 3. N. A. 3. Socratis* & ipsius sapientiæ *My- stagogi, Homeri*, exempla plus quàm nota sunt: quibus sanè nec nostra secula deficiuntur; magnò utique opprobriò & improperiò eorum, qui à facultatibus satis instructi, segniùs proficiunt, & per corporeas delicias animum corrumpentes,

lib. 7. in vit.
Cleanthis Sui-
das eod. in ar-
gum.

molliorem eum efficiunt atque debiliorem, quàm ut solidas doctrinæ dapes possit concoquere.

Cursum autem Classicum uterque Doctorum nostrorum confecit feliciter, & quæ solertiæ vis est, celeriter: Minimè autem, quod plerique hodiè faciunt, *πεγώρως* & properè. Solent enim nonnulli adolescentulorum, simulatque rudimenta artium & linguarum labris degustârunt primoribus, jam se totos doctrinâ repletos atque ebrios somniare, & nisi ilicò à Gymnasii subselliis in liberiolem Academiæ aërem dimittantur, fore clamant, ut aut rumpantur præ solidæ illius eruditionis ingluvie, aut quantum intus est in parturiente alvo; ridiculorum murium copiâ subsellia ista onerent: accedentibus ad hydropicum istum tumorem proximis insanix indicis, quando contra jurata Præceptorum judicia, se nihilo-feciùs opinione atque adeò religione ipsorum doctiores pronuntiant, & viris eruditis ineptissimi homunciones suam *Φιλαυρίαν* contendunt approbare.

Nihil horum vitiorum nostros fascinavit, *Bitschium* aut *Locamerum*; sed uterque jussu inspectoris, ad altiora subsellia dignos promoventis, non tam desideravit, quàm modestè expectavit: Et *Bitschius* quidem *anno ætatis 18. Anno 1596. Locamerus 20. demum classicus valedixit, Anno 1608.* tametsi uterque præcellente pollerent ingenio, & noctes diebus continuatas bonarum artium amori impenderent. Admissionem porro ad publicas auscultationes, bonis avibus indulgam, nequaquam remissionem à studiis aut licentiam interpretati sunt; qui alter error plerosque nostratium demeritat; sed eò fortiùs & alacriore spiritu stadium suum sibi decurrendum esse, veluti apertis catedromi repagulis, censuerunt. Unde factum est, ut uterque non integrò biennio elapsò, primam & secundam in Philosophia lauream, & hanc non gratiæ; sed ut nostri loquuntur, justitiæ: neque inter postremos; sed uterque primum locum: ille inter 20. hic inter 19. competitores, occupans, lætò omine acceperint.

Nec

Nec in residuo studiorum decursu dispar fortuna superares conatus mastravit; Etenim ut *Bitschius* preparatō per humaniores artes ingenio, applaudente Themide, in atria eius pedem promovit & penetravit: Ita *Locamerus* totō se animō huic familiæ addixit. Uterque felicissimis natus temporibus, quibus cathedra Jctorum longè clarissimis Doctōribus coruscabat: *Georgio*, inquam, *Obrechtō*, & *Dionysio Godofredo*, quos *Bitschius* in primis audivit, ac deinde etiam *Iustō Mejerō*, quem ille initio studiorum socium, post & Magistrum: *Locamerus*, ut ætate inferior, Præceptorem tantum, ac denique uterque Collegam habuit. Quem quanti singuli fecerint, vel ex eo constat, quod dogmata ejusdem mordicus tenuerint, *Bitschius* illum suum nominavit Sulpitium; *Locamerus* explicatius Præceptorem & Patronum. Erat, autem facto conciliante, mutua *Meieri* adversus istos propensio, jam à multis annis in animo sapientissimi Viri radicata: ut colligere licet ex schedio quodam, à *Mejero* ad *Locamerum* perscripto, eo tempore, quo *Locamerus* libri Pandectarum quinti elaborationem in Collegio, quod gratæ in nutricem Urbem memoriæ causâ *Mejerus* Argentoratense nuncupavit, suscepisset, h. e. Anno 1615. quod ipsum inter κειμήλια *Locameri* repertum, ante quàm obliteretur, huic recitationi inseram, cum descopo illius libri & animo autoris nonnihil subindicet; præfatâ prius veniâ à Censoribus, si qui futuri sint rigidiores, ut me non panegyristen; sed veritatis præconem esse, haud gtavatim ex præfatione & occupatione mea meminerint & recordentur. Ita autem scribit *Mejerus*: Sum jam, Ornatissime Domine Magister, Amice charissime, in perlegendo titulo de iudiciis occupatus: quem etiam absolvisssem, nisi valetudinis incommoditas mihi impedimento fuisset: Itaque Dominum Magistrum rogo, ut reliquos etiam titulos, quam primùm poterit, mihi transmittat, ne mora aliqua & nobis hac in parte objici possit. Celare non possum, me ab initio, cum viderem, pleraque ex Practicis magis, quàm Iustiniano nostro proferri; ne fortasse quid Iustinianèum

præteriretur, metuisse. Verùm dum in legendo pergo, tum mirificè mihi diligentia Domini magistri placuit, ut non parùm in mea imbecillitate recreatus inde fuerim: Non dubito, quin reliqua sint similia: semper enim de Dn. Magistro mihi præclara omnia promisi, neq; me spes fallit. Vale. Hæc Meierus. Quæ verba magni illius Viri non solùm testimonium; sed & vaticinium aliquod complectuntur.

Et hætenus quidem utrumque in Gymnasio & Academia nostra spectavimus: nunc peregrinabundos quoque comitabimur, donec Argentinam eos, veluti in alteram & fatalem patriam, reduxerimus: Atque ut à *Bitschio* ordiamur: Postquam ille ad Philosophiæ & juris studium Gallicæ quoque linguæ cognitionem privatâ ferè industriâ (quod tamen in illa lingua perquàm est difficile) adjunxisset non contemnendam; dignus habitus est, qui Anno 1600. mense Octobris ad aulam Solmensem Laubachianam mitteretur, Per-Illustri & Generosissimo Dn. *Henrico Wilhelmo*, Comiti in *Solms* &c. à studiis & informatione futurus: Hoc autem non multò post in Belgium ad rem militarem reverso ex commendatione Generosissimæ Domine Comitissæ, matris viduæ, præfectus fuit Ephorus Nobilissimis Juvenibus, *Hermanno* & *Iohanni Danieli à Cronbergk*, fratribus patruelibus; nec non *Volperto Riedeselio in Eisenbach*/ tum in Academia Marpurgensi literis operam navantibus: cum quibus, æstate ibi transactâ, sub autumnus tempus Argentoratum rediit, ibique itidem per annum ferè spatium studiis continuatis Anno 1602. in Galliam abiit, in qua per totum biennium peregrinatus est, perlustratis præcipuis ejusdem regni provinciis, urbibus & Academiis, ut *itinerarium eleganter ab ipso conscriptum* perspicuè docet. Inde autem reductis Anno 1604. ad patrios lares discipulis, ipse tertium hanc in urbem ut *fidelissimam studiorum suorum nutriculam*, (verbis ipsius *Bitschij* utor) est reversus, & initio quidem inspectioni Nobilissimorum Adolescentum, *Henrici à Lüzelburg*, & *Iohannis Philippi Zugmantels à Brumat* per triennium; quartò autem annò regendæ primæ Gymnasii curiæ

curiæ adhibitus: hoc verò finito, ad Historicam professionem fuit promotus, eodem, quo supremos in Jure Doctoratus honores *Basilææ* adsumsit, h. e. *Anno 1608. (7. Junij)* & sociam lecti, Deo pronubo, pactus est, quam *in adversariis de vita sua* piissimam castissimamque virginem optimus & certissimus ipse morum censor atque arbiter appellat, *Susannam Greinerin*/clarissimi, prudentissimique viri, Dn. *Melchioris Greineri*, Hagenoensium Syndici & Archigrammatæi filiam: cum qua per Dei gratiam atque benedictionem concordissimè vixit semper, & novem liberorum pater factus est.

Ita nimirum provida illa mens, architectatrix æternitatis, eos, qui gradu non præcipitato, nec præcoce impetu, ad honores festinant; sed manum opitulatricem in patientia & spe præstolantur, tempestivè fatis producit, & productos plurimis inde honoribus atque commodis auget coronatque.

Ex eò certè tempore ò *Μακαρίτης* noster alternis ferè annis novis functionibus exornatus est: Nimirum visitaturâ (quam vocant) sive inspectione Collegiorum, *Anno 1609. Canoniatu Thomano, Anno 12.* (nam & hæc, ne quid præteream ex annotatione domestica Viri optimi, perstringenda sunt.) Professione Institutionum, *Anno 1613. Officio Consilarii apud Illustrissimum Comitem Hanoviensem, Anno 1614. Rectoratu Academiæ primo, Anno 1617. functione porrò Thesaurarii Capitulis nec non professione Pandectarum, Anno 1619. Rectoratu altero, sed ab exaltata hujus Academiæ dignitate omnium primo, Anno 1621. Professione Codicis & Feudorum, Anno 1623. fascibus Rectoratûs, tertiâ vice susceptis, Anno 1629. denique Præpositurâ Capituli Thomani, Anno 1630. potitus est. Omitto deinceps cætera, ut ambulatoria Decanorum & Promotorum Officia, quæ ille multoties cohonestavit: Quibus singulis quàm decorè, quàm laudabiliter præfuerit, supra vocem meam est; Certè horariæ commendationis capacitatem & fines excedit. Promptum magis est, & conatui nostro propius, ostendere, quemadmodum eâdem pene semitâ, certè non abludente, cursûs nostri Moderator & Gubernat-*

bernator scientissimus atque supremus, Doctorem alterum, *Locamerum* intelligo, deduxerit.

Hic verò positus in Academia ista fundamentis Jurisprudentiæ solidis, tum demum de peregrinatione suscipienda consilia & cogitationes iniit, nequaquam ad præposterum morem deficiens nostræ juventutis, quæ in peregrinationibus inconsultis & temerariis primos ætatis suæ, quæ literarum studiis debebatur, annos, magno cum detrimento suo & serò resipiscentium cordolio consumit.

Ut verò commodiùs sumtus peregrinationis sustinere posset *Locamerus*, Deò prospiciente ac Patronis annitentibus, præfectus fuit & adjunctus eximiorum parentum filiis, *Sigismundo Flachio, Melchiori Greinero & Iohanni Reinhardo Etorsen*/tum temporis integritatem majorum virtutemque totò vultu spirantibus, postea exæquantibus, & qua fas est, excessuris; cum quibus non Academiæ solùm, *Wittebergensem, Lipsiensem, Giessensem*; sed & *Bohemiæ totam, Marchiam, Pomeraniam, Daniam, Civitates Hanseaticas, aliasque provincias* vidit, perlustravit; nihil interim de diligentia in studiis remittens: quibus ad ἀριστην suam perductis, non tantùm meruit, ut *Anno 1618. Juris Doctor in Brabeuterio Heidelbergensi* renunciaretur; sed paulò post Professoriæ functioni quoque, licet ad praxin in Camera Imperiali animum adplicuisset, Deò tamen huc animos inclinante, destinaretur.

Exinde, id est, post exantlata tot laborum tædia, collata fuere in ipsum & nuptiarum gaudia, & omnes dignitatum, quas quidem in Academia sperare licet, formulæ: *Inspectoris Collegiorum, Decanatûs, promotoris, Rectoris & similes*: in quibus obeundis ita se gessit, ut desiderium sui omnibus, imitationis exemplum difficile nobis reliquerit.

At requireret forsan à me non nemo promissi memoriam, quòd isthæc partim tenuia, partim, ut Philosophi ajunt, communiter accidentia, satis utique nota, nimis anxie persequar, quæ prudentia Rhetorum suspensò jubet designare aut volitante

tante

tante penicillô : Enim verò qui non Urbi; sed Auditorio: nec in isto Senioribus aut Senatui literatorum; sed spei succrescentium, hæc præcipuè exponi cogitabit, nihil à vulgaris officio narratoris faciendum esse mihi censebit alienum : Sensit quippe jam suò tempore *Symmachus*, (lib.10.c.25.) Ornamentis honorum incitari imitationem, & virtutem æmulam ali incrementò honoris alieni : atque, ut *Hieronimus* (eâ epistolâ, quâ disputat, cur Theologi in patria sua minùs existant honorati) inquit: *Vbi honor non est, ibi contemptus est; ubi contemptus, ibi frequens injuria; ubi injuria, ibi est indignatio; ubi indignatio, ibi quies nulla; ubi quies non est, ibi mens à proposito saepe deficitur: Vnde tantundem studiis, atque per hoc perfectioni decedit.* Hæc *Hieronimus*. Quid quòd Philosophus non dubitavit, in universum edicere: *Haud quaquam consistere diu civitatem posse, ubi non virtuti maximus honos tribuatur.* (2. de Republ.)

Quanquam fateor, cùm honores etiam immerentibus aliquandò contingant, & Doctores nostri plura meriti sint, quàm gesserunt; non usque in hoc argumento subsistendum; sed ad id, quod palmarium est, actiones nimirum secundùm virtutem exercitas, & egregia facinora progrediendum atque potissimum respiciendum esse. Qua in re tamen iterum mihi temperabo, nec indefessum virorum istorum laborem, in Collegiis publicis & privatis, in disputationibus & lectionibus, ostensum probatumque extollam : In quibus sanè tam religiosè versati sunt, ut piaculum duxissent, vel unam horulam Auditoribus subtrahere: Id quod citra vanitatem, aut veritatis præjudicium à me dici volumina lectionum (quibus singulis diligentissimè causæ adscriptæ sunt, si ob negotia publica, vel alia impedimenta legitima, aliquæ sine linea horæ transissent) propalam testantur. Quanquam quid dico hæc à me tacenda esse, in quibus vel maxima Professoris laus consistit atque vertitur? Laudet in Professoribus suis *Burdegalsibus Ausonius* acumen, memoriam, os facetum, mores hilares, scripta & scribendi facilitatem, denique, cui hæc omnia comparan-

parantur, nominis celebritatem; mihi post pietatem, quæ in utroque summa fuit, ante ornamenta ista, quæ mirificè in nostratibus eluxerunt, nihil æquè in docto & fideli præceptore laudabitur aut desiderabitur, quàm discipuli amor, & ex amore subnascens laboris assiduitas: Habeant sane laudem suam illi sive Φιλότιμοι, sive ιεροσόφιλοι, qui non gloriæ suæ velificantes, (id enim ab impietate proximè abest) sed bono publico, eximia procudunt Commentaria, quibus omnium ætatum, omnium gentium classes erudiuntur; neque tamen suis quemque Scholis, suisque Auditoribus minùs commodum arbitrabitur, qui spretis gloriæ popysmis, horum se ingenio attemperat, his scriptis & voce erudiendis omnes suas horas locat, addicit, mancipat, modò quæ difficilia sunt, explanans, modò explanata textilibus denuò tricus difficultatibusque involvens, modò aliorum dubitationes admittens, ut scientiam in animo alumni stabiliat, constituatque certam atque immotam.

Ac citra jactantiam utique ostentare possumus eam, quæ in Scholas nostras introducta est, consuetudinem, quam certè in quibusdam aliis frustra requiras, nec sine calumniæ & obtreptionis periculo introducas: plus quippe aliquando de gloria aut vana eruditionis præsumptione contendimus, quàm ut seriò proficere, aliorumvé profectus juvare desideremus; Unde ventosi illi Legulei, aut ut dici volunt, Juris Consulti, qui omnem eruditionis suæ supellectilem in pugnacitate & contendendi promptitudine reponunt; quorum istæ virtutes quos fructus in aulis & Curiis produxerint, tota nunc Germania experitur.

At huic Scholæ ab optimis istis, quos nunc laudo Doctores alia disciplinæ ratio sive tradita, sive conservata est, quàm malint duci Studiosi, quàm ducere, audire, quàm audiri. Id fit in Collegiis (quæ à re sic vocamus) examinatoriis, ubi remotò schemate & verecundiâ, vitia defectusque, fundamenta profectusque, incrementa denique aut vigorem veluti pater-

Paternâ manu palpamus, tractamus, excolimus. His admini-
 culis defultoria & inconstans discendi ratio profligatur, avia
 & anfractus studiorum devitantur, & certâ manu ductione ju-
 venes ad solidam eruditionem veluti per serperastra promoti
 perveniunt. Neque tamen planè mutos requirimus Audi-
 tores; sed dubia & in utramque partem à Doctoribus deducta
 exercitationibus servamus Studiosorum: Ac sine jactantia
 iterum dicere possumus, plures exercitationes & disputationes
 à Viris istis diligentissimis habitas fuisse per trimestria, quàm
 alibi locorum, penè dixerim per trieterides. Non ignoro, hæc
 vix in laude, quadantenus in vitio à nonnullis reputari, sola
 nobis vetustatis instituta pro norma vivendi, & in studiis pro-
 grediendi regula objectantibus: quibus tamen ego modera-
 tam *Julij Casaris Scaligeri* sententiam reponere soleo, quam his
 verbis exprimit: *Equidem ita censeo, optimos illos priscos, tum re-
 centiores, non voluntate solum, sed quibus etiam possent, officiis be-
 ne de nobis meritos fuisse: verum ita evenit, ut qui sublimioribus
 studiis occupantur, eos pigeat harum quotidianarum, disputationum:
 quos verò ingenium temperatius ab altiori contemplatione abduxif-
 set, eos melioribus opibus destitutos, aliquando nimis leviter depre-
 hendimus in eas incubuisse.* Quibus sanè verbis *Scaliger* istorum
 excessum, illorum verò defectum sive notat, sive castigat: ex-
 cessum in istis, qui altercationibus Academicis omne tempo-
 ris punctum tribuunt, nimium altercando facientes, ut veritas
 amittatur: defectum in illis, qui ex hypothesis suis & à petra-
 vivitatis, quæ sibi suisque persuasere, principiis, omnem secuturi ævi
 posteritatem pendere volunt, in censuras precipites, omniaq; sub-
 vertentes, ut doctiores videantur; quæ non mea, sed *Scaligeri*
 iterum verba sunt. Nostricertè Doctores inter hæc extre-
 ma tam conveniens adhibuere temperamentum, ut nemi-
 nem unquam discipulorum poenituerit, ipsorum chiragogiâ
 usum fuisse.

Neque tamen defuisset præclaris istis Viris vel ingenium,
 vel rerum copia, quibus Ordinis nostri gloriam valuissent pro-

d

paga-



pagare, si major ejus, quàm officii ipsis visa fuisset habenda ratio. O! quantum eruditorum, exclamat *Plinius*, aut modestia ipsorum, aut quies operit & subtrahit famæ: illi, qui tacent, hoc amplius præstant, quò maximum opus silentiò videntur.

Quod si verò quis *avéxdoxa Bitschij* viderit & inspexerit, *Commentarium* inquam, primò in 12. *Cæsares Svetonij*, quos ille in historiarum professione constitutus dictavit; tum in *feuda absolutas tractationes*; itemque in *tit. de reb. cred. de jurejur. de in litem jurando: ad Sctm Macedon. ad Sctm Vellej. de rer. commun. divisione: de probationibus: de Codicillis. de clausula Codicillari: de thesauris: de casibus pro amico: de causis Cæsareâ decisione dignis, & aliis*; modestiam hominis mirabitur, doliturus etiam, tot thesauros orbi literato perire; Ita enim de iis, si quid est in me judicii, affirmare possum, præteritis diebus avidâ mente evolutos esse eos *Commentarios* luce & manibus Doctorum longè dignissimos.

De *Locameri* concinna facilitate & eximia scribendi facultate testimonium præstant non poenitendum, *notæ in Institutiones, Nova Justinianéa, questionum Juris Centuria aliquot, Enantiophana, feudorum synopsis*, ut alia, quæ in Studiosorum manibusvolvuntur, publicarû recitationum volumina præteream. Quid de egregio utriusque conatu dicam, mihi quoque inter novissima commendato, producendi ex Antecessorum hujus *Academiæ* adversariis notas in universum jus perpetuas, quarum specimen in *Institutionibus*, ut modò indicatum, dedit *Locamerus*; itemque consiliorum *Facultatis*, non trivialium certè, *centurias aliquot*, denique *Collegii*, quod vocant, *Argentoratensis* juridici, adornationem talem, quæ succinctam omnium juris capitum explicationem cum indicibus & remissionibus exhiberet, quâ methodò totum *Dicæopædiæ* systema, ratione hætenus nondum usurpatâ, facili tamen & perfectissimâ, explicaretur. Sed hos conatus partim injuria temporum partim defectus sumtuum sufflaminavit, adversa valetudo sti-

ti

tit, mors interceptit. Cum qua antequam subsistam, unicam
 dissimilitudinem, sive disparitatem, quam in similitudine isto-
 rum Virorum observasse mihi videor, annotabo. Haecenus
 enim, ut fortunæ, laborum, vitæ, honorumque, denique ut stu-
 diorum ipsorum summa fuerit paritas ac tantum non unio,
 indicasse me arbitror, quæ etiam in virtutibus reliquis ubique
 eminebat; Unus enim ambobus, h. e. ad summam pietatem
 compositus de divinis sensus, religiosa scientia & conscientia,
 nihil fucatum, elatum nihil, aut sordibus avaritiæ inquinatum,
 constantia rectæ mentis, modestia morum & suavitas, venera-
 tio superiorum, æqualium amor, inferiorum cura & juvandi
 studium: Singulæ hæc in geminis gemina & consimilia pla-
 nè, ut vel sub eodem sidere natos, vel ab eadem matre enuri-
 tos, vel sub una saltem disciplina adolevisse jurasses; Tanta
 etiam per omnem vitæ usuram conjunctio, ut nulla injuria
 amicitiam ruperit, nulla offensio labefactarit. Tantum in
 adminiculis comparandæ eruditionis aliqua apparebat dispa-
 ritas: Et enim *Locamerus* parum tribuebat librorum multitu-
 dini, neque plus locorum, quos appellitant, communium coa-
 cervationi; sed unicò *Catone Justinianò*, cui sanè annotationi-
 bus quotidianis magnam in margine lucem intulit, vel si inter-
 prete opus omnino foret, *Cujaciò* & libris synopticis conten-
 tus. Legendi disputandique provinciam, neque eam tantum;
 sed & de jure consulentibus respondendi partes scitissimè ex-
 plebat, cum stomacho aliquando invehens in illos alienarum
 sententiarum hamaxagogos seu hamaxarios, qui omnia dicta
 scriptaq; sua, ac imprimis consilia, vermicultatis allegationum
 papaveribus perpluerent, cum textu juris, aut analogiæ & ratione
 hinc elicita defungi prudentem juris sacerdotem posse, non
 contenderet solum; sed &, quotiescunque res postulabat, factò
 ipsò ostenderet, ita, ut sæpissimè acerrimus ille nostrarum lu-
 cubrationum Censor, *Bitschius*, in parsimonia verborum acu-
 men, in congrua textuum juris allegatione copiam & commo-
 ditatem mirantis in modum in *Locamero* de prædicaret.

Id verò hinc exercitatissimo Viro placuisse & sedisse arbitror, quod triturae forensi (cujus tamen non rudis erat, sed jam olim fortissimus athleta extiterat) parcissimè operam elocans, his memoriae subsidiis haud usque opus haberet, quibus infinitus ille (naturâ novos semper parturiente) casuum numerus definitur: Sæpiùs etiam affirmantem audivimus, munus Professorium totum requirere hominem, neque bonâ se conscientiam pluribus operam addicere posse clientibus, utcunque alios, sterilitatem cathedrarum veritos, totum diem sedendo, itando, cursitandoque, ac veluti curriculò seu diplomate usos Divæ Penæ occursum devitasse, meminisset.

E diverso *Bitschius* instructissimâ pollebat bibliothecâ, nec consultationes solùm suas; verùm etiam disputationes & commentaria numerosâ allegationum phalange instruebat, partim commodò aliorum motus, qui per remissiones ejusmodi in loca deducerentur hætenus incognita; partim, ut suborituris dubitationibus ansam præcideret. Præterea insignem collectaneorum thesaurum adparaverat, eundemque quotidianis racemationibus reddebat cumulatiorem: qua in parte minimè vulgarium thesaurariorum errores sectabatur, qui obvia quævis ac protrita, theoretica, practica, didactica, polemica, vera, falsa, uni eidemque inferciunt volumini, lancem saturam, aut si mavis Hispanico vocabulo rem designari, *ollam putridam*, repræsentantes, non sine dispendio studiosorum, certè cum tædio eruditorum: A qua labe ne famosi quidem illi allegationem architecti, *Calderinus*, *Bertachinus*, *Brunorus à Sole*, *Arnoldus Reyger*, & ipse adeò purpuratus falsissimus autoritatum institor, *Cardinalis Tuscus*, omninò liberari, nedum perpurgari possunt. E diverso *Bitschius* veterum Actorum instituta sequutus, judicio & electione adhibitâ, rara tantùm & utilia eruebat, eruta singulis singula libris, veluti cellulis commendabat: hinc erant libri theoretici, illinc practici; hinc didactici, illinc polemici. Quantum ad textûs sententiam & discrepantes in explicatione opiniones, utebatur

syste-

Systemate Navij, quod doctissimis Autoribus egregiè locuple-
 tavit, adeò, ut propter auctorium istud opus Navianum re-
 cudi mereatur; qua de re tamen ipse Autor, Dn. *Navius*, se
 desperare nuper mihi perscripsit, maximè cum *Augustinus*
Barbosa simile quiddam in jus utrumque Romæ moliatur.
 Systematicè verò jus collectum pretiosissimis *Meieri* digestio-
 nibus quotidie melius ordinabat, ineptissimam iterum judi-
 cans illorum operam, qui locos juris nostri proprios, de ju-
 diciis, inquam, deque contractibus, nuptiis, tutelis, successio-
 nibus, delictis, actionibus & similes, locis illis suis communi-
 bus tumultuariè inferunt; cum hi sint loci proprii, h. e. pro-
 priam & peculiarem sedem, tum in corpore juris, tum in sy-
 stematica artis comprehensione, jam obtineant, quibus vel
 acquiescere quis possit, vel si quid novi occurrat, marginibus
 adscribere, vel diligentiam denique illorum frui queat, qui sin-
 gulos pene titulos fusiis Commentariis declaraverunt.
 Locos autem communes illos judicare videbatur, qui vel di-
 sciplinis aliis, vel propriis illis, quæ dixi, juris capitibus essent
 communes, nec specialem in jure sedem nacti: quorsum et-
 iam Doctorum brocardia, sive ἀντήματα & ἀξιώματα pertinent,
 quæ cum maximam περίεως partem & infinitorum ingenia
 occuparint, mirandum est, nullum hactenus censorem repe-
 risse, omnibus *Augia* istud stabulum potius usurpantibus aut
 ferentibus, quam ut purgamenta & camerinam movere su-
 stineant. His certè αξιολογημένοις *Bertachinum*, *Vigelium*,
Wehnerum, *Gailium* atque alios, se ipsis majores per frequen-
 tiam annotationum *Bitschius* effecit. Jam Polemica iterum
 in theoretica & practica distinxerat, & certos cuique sectæ li-
 bros, inprimis autem *Vigelij methodica* attribuerat, optimis ite-
 rum annotationibus omnia fœcundans: Ut mirari adeò su-
 beat, quomodò Vir ille, tot occupationibus distentus, (respon-
 sa & propriò & facultatis nomine consulentibus reddita, advo-
 cationes clientibus præstatis intelligo) tot prætereà molestiis
 affectus & infortuniis; tot tamen nihilominus commentatio-
 nibus



„ nibus sive colligendis, sive concinnandis sufficere potuerit;
 „ maximè, si aduersa casuum & incommoditates domesticas &
 „ inter hæc omnia valetudinem semper aut infirmam aut defi-
 „ cientem cogitemus. Enim verò rectè Scaliger; *studiis*, inquit,
 exerc. 309. *haud parum de demenso vita defraudamus; distracti enim spiritus*
membra destituunt inania, atque illorum hæc attritio fit instrumen-
 orat. i. contr. *inquit: sublatò corporis exercitiò iis horis, quas literarum studiis*
 Erasmi. p. 58. *impendimus, intentis animi instrumentis in eam corporis partem,*
quæ rationis, iudicij, inventionisq; moderatrix est; avertitur ne-
cessariò naturæ opus ab alendis membris: frustra enim vis illa, quam
Galenus attrahentem vocat, laborare visa est, frustra est ea, quæ re-
tinet: nihil habet immutatrix, quod immutet: expultrix autem id,
quod exigendum est, ne cætera quasi in vacuo destituantur, non ex-
pellit: quamobrem neque corpus nutrietur, & corrupti humores ex
arteriis nequaquam vaporabunt. Ex illo igitur imbecillitas insi-
debit, ex hoc morbi subrepent, ex utroque interitus subsequetur: hinc
illi pallores, facies exsanguis, oculi cavi, frons contracta, infirmus
ingressus ac vacillans: & quæ sequuntur.

Videor mihi hunc naturæ deficientis processum in utroque
 Doctorem nostrorū animadvertisse; in *Bitschio* quidem documen-
 tis & indiciis planè notabilibus: jam enim à multis retrò annis malè
 habebat, & tumulo quàm ergasterio Musivo expeditior, piorum pre-
 cibus & intercessioni, τὴν ὠκυμορσίαν & moriendi per momenta neces-
 sitatem sufflaminari, referebat acceptum, exsolvi cupiens, si placeret
 Imperatori; perstiturus etiam in statione, licèt misera & gravi, si mul-
 torū & inprimis familiæ solatio liceret superesse. Atque hæc *Bitschij*,
 præclarè de studiis Jurisprudentiæ meriti, fatalitas fuit. Cæterùm in
Locamero occultiora, nec nisi peritis cognita morbi lethalis vestigia
 serpebant, antequam malum unò velut impetu erumperet, & lecto
 semel affixum nullò quàm vitæ manupretiò dimitteret exsolutum.
 Forsan & illud argumentis harmoniæ naturæ, consensui complexio-
 num, & occultis fortunæ symbolis, synthematis & allegorematis
 annumerandum est, quòd eadem morbi species, h. e. hydropis vio-
 len-

lencia, eademque dies, h. e. *secunda Decembr. anni prateriti* emortalis fuit *Bitschio*, *Locamero* autem fatalis: alteri doloris finis, alteri initium ad eundem finem: qui *Locamero* 26. *Aprilis hujus anni* contigit. Neque in excessu ipso (si morbi symptomata demas) quicquam dissimile; illud enim *Bitschius* metuerat anxie, & calidis à Deo lacrymis deprecatus fuerat, ne aliorum ministerio, quas nollet, partes permittere cogeretur; idque contra istius morbi ingenium, vim & consuetudinem à clementissimo humanarum rerum & caelestium dispensatore Jesu nostro obtinuit, diuturnitatem morbi hujus desiderii praestatione refocillante. At *Locamerus* quò brevioris usus valetudinariò, eò durius habitus fuit. Utrique verò eadem Schola, ejusdem gloriae fuit theatrum: nam & *Bitschius* incredibili constantia viribus animi ad extremum usque halitum integris, corpus ipse componens atque reclinans suum, suà voce spiritum Salvatori nostro ex antiqua formula, veluti de manu in manum tradidit, commendavit, commisit, ac eò ipsò momentò imperterritus excessit, dubitantibus amicis, an serio res ageretur. *Locamerus* autem sequestratis omnibus in homines clarissimos adfectibus, in solo Jesu defixus, carceri terreno, morborum & molestiarum myriadibus repleto, animam, Deò prensante, subduxit. Ita uterque eadem fortitudine, eadem fiducia excessere, velut lychni, inserviendo conservis suis, consumti; dilectissima Domino suo & in magna luce resuscitanda lumina, inter stellarum orbis & justitiae soles effulsura.

Exprobrare atque improperare solebant nonnulli Philosophorum inertiam moriendi populo, hoc est, Stoicorum Apathiae minus addictis: *quis*, inquit *Seneca*, *sine querela moritur? quis extremò die dicere audeat:*

Vixi, & quem dederat cursum fortuna, peregi.

Quis non recusans, quis non gemens exit?

Proh! quantò levius (canit Poëta)

— — — *mortalibus agra subire,*

Servitia atque hyemes, aestusq, fugamq, fretumq,

Atque famem; quàm posse mori.

*Senec. 5. de
benef.
Punicor. l. 14.*


Nihil

Nihil verò cordato Christiano levius, nihil exoptatius, quàm bene mori; gnaro scilicet, bonam vitam nunquam premi malâ morte, ut *Augustinus* ait; utique certo, quòd simulatque terrena domus nostra hujus habitationis dissolvitur, ædificationem à Deo habeamus, domum non manu factam, sed æternam in coelis. Ac in illis quidem beatorum ædibus atque sedibus felices animæ, à sublunarium calamitatum impetigine liberæ, omnibusque fortunæ invidentis jaculis longè lateque superiores, sanctissima agunt otia: Nos in turbulentis tempestatibus istis volutamur, exitio quàm solatio propiores: Illi ineffabilia divinæ sapientiæ audiunt capiuntque miracula: Nos intra ævi errata consistimus, & evanituræ scientiæ modum multâ contentione discimus ignorare: Illi tot charas offenderunt animas, quas coeli municipes, Angelorum contribules esse experiuntur: Nos charissimis Collegis, fidissimis Doctoribus orbati, palpitamus, & in hac eruditorum hominum raritate, ne dicam solitudine, succollaturos relicta horum Atlantum onera frustra requirimus, frustra circumspicimus; nisi Deus, miserator noster, turbas istas Oecumenicas dissipare, Orbi tranquillitatem, Societatibus alimenta, Scholas sibi, Scholis Doctores, velut ἀπὸ μηχανῆς restituerit: Cujus sanè immensæ bonitati, inter lugentis animi singultus, & intercludentia votorum prolixitatem suspiria, has spes nostras atque desideria devoti commendamus.

DIXI.

Parodia Ausoniana.


*Sic ego Vos, quos nulla mihi cognatio junxit,
Sed merita & Themidæ communio grata cathedræ,
Et studium in libris, & provida cura docendi;
Ut potui, memorare avidis sum viribus ausus:
Fors erit, ut facili quisquam hæc magis cantet avenâ
Alter, ab exemplo aut chartis instructior istis:
Interea hoc nostri testamen amoris habete.*



Kl 83

X2617300

W. K. 83



B 23
congr
in-...





MEMORIA

Conjunctissimi Jctorum Paris,

DN. CASPARI BITSCHII,
Collegii Jctorum in Academia Argentoratensi Senioris
itemque Ecclesiae Collegiatae ad D. Thomam Prae-
positi gravissimi.

tum

DN. GEORGII DAVIDIS
LOCAMERI, Jcti,

& Pandectarum Professoris celeberrimi :

*Ob vitae, fortunae, atque exitus penè parilem ordi-
nem atque decursum,*

Suasu nonnullorum Collegarum, unâ Oratione
parentali repræsentata,

Argentorati

In Auditorio solenni, 21. Septembris 1637.

à

JOHAN-OTTONE TABORE, U. J. D. PP. & in
Senioratu successore : postea diversorum Imperii Principum & Statuum
Consiliario, Cancellariae Gustroviensis Directore; denique Academiae
Giessensis Cancellario; hodiè emerito & rude
donato.



ARGENTORATI,

Literis GEORGII ANDREÆ DOLHOPFFII,
Imprimebat JOHANNES Schick,
Anno M. DC. LXXIII.